

in libro dicti camararii et procuratoris comunis. ¶ Et dominus potestas in exitu sui offitii consignare debeat dicto camarario res scriptas in dicto inventario, sub pena solvendi de suo omnes res que deficerent comuni. ¶ Et eius successori simili modo in scriptis ¹⁾ dare et consignare presente dominio, etiam pena 5 quadraginta frx. et supplendi deffectum cum suis bonis. Et nullam provisionem petere, et si sibi fieret non recipere, etiam pena decem libr. par. Et suum offitium legaliter et fideliter exercere ad utilitatem comunis, et non recipere aliquam solutionem nec sibi solvi facere de aliquo opere quod faceret in comuni tenpore sui offitii ultra suum salarium, etiam sub 10 pena centum sold. par., et nichilominus restituere recepta per eum. ¶ Et habere unum quaternum tantum et dominus potestas alium similem, in quibus scribere fatiat per cancelarium de sub lo(n)giam omnes rationes introitus et exitus ipsius camararii comunis et omnes expensas quas fatiet in comuni, 15 in presentia iudicum Tergesti vel saltem unius ipsorum omni die factas in dicto suo quaterno, et scriptis in suo quaterno teneatur facere scribi in dicto quaterno domini potestatis incontinenti in concordantia cum suo, et nullas expensas scribi facere in absentia iudicum vel unius eorum, etiam sub pena 20 viginti sold. par. pro quolibet camarario et vice ²⁾ qualibet contrafacta. ¶ Et non expendere vel dare aliquos denarios sine licentia domini potestatis vel iudicum vel rectorum civitatis Tergesti, et si expendiderit plus quam scriptum reperitur in dictis quaternis, illud plus satis- // fatiat de suis propriis denariis, etiam sub pena centum sold. par. pro quolibet camarario et vice qualibet contrafacta. ¶ Et solvere salarium potestati iudicibus et aliis officialibus comunis Tergesti secundum formam statutorum Tergesti. Et non dare aliquam candelam, doperium vel oleum domino potestati vel sociis nec familie domini potestatis, etiam sub pena vigintiquinque libr. par., salvo quod dare possit et debeat militibus domini potestatis unam libram candelarum cerearum pro quolibet milite 25 30

¹⁾ Forse è da correggere come il senso vorrebbe: *res scriptas*. ²⁾ *die* e tracce d'una lettera abrassa.